vicem (respectu scilicet areæ) æqualia. Idem etiam verum est in Triangulis ABC & GHI, quorum bases AB & GH, itidem ut altitudines CD & IK æquantur.



At Triangula ABC & EFG, etsi altitudinibus CD & GH conveniunt, differunt autem basibus AB & EF, quarum hæc major, illa minor, inæqualia sunt.

Ex hoc verò etiam Theoremate consectariorum instar duo Theoremata reliqua promanant:

IV. Triangula aquèalta habent sese mutuò ut bases.

Nimirum quia in proximo Schemate EF basis Trianguli EGF dupla est basis AB Trianguli ABC: est & Triangulum EGF duplum Trianguli ABC. Si basium una alterius tripla esset, esset & Triangulum unum alterius triplum.

V. Triangula æqualium basium habent sese mutuò ut altitudines.

Iterum ergò hic Triangulum EFG duplum erit Trianguli ABC: quia bases AB & EF æquales; Altitudo verò GH dupla altitudinis CD, &c.

CAPUT XI.

De
TRIANGULATIS IN GENERE, EORUMQ; resolutione in Triangula.

Antequam ad adscriptionem Triangulorum & partium Triangularium in Circulum transeamus: restant eorundem comparationes cum quadratis & Parallelogrammis, quæ tantò sunt præstantiores ijs, quas hactenus vidimus, ut hæ illorum umbras vix dicere liceat.